Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2701
Quelle:
Copyright:

tius e Sermone, et potissimum Autoritates PP. Praeter *Wicleffum* impugnatur hic etiam *Tractatus de Corpore Christi* cujusdam *Stamkonis* (*Zdenkonis* de Labun?) et *Job. Hussi*, unde necesse est, *Styeknam* nostrum diversum esse a *Conrado Styekna* seu *de Steken de Austria*, qui celebratur in *Balbini Bob. docta P.* II. p. 181. aut tardius diem obiisse, quam ibi duce quidem *Ben. Weitmüblio* statuatur.

Fol. 139. Tractatus boh. scriptus de Officio permanendi in unione et obedientia Rom. Ecclesiae. Idem, qui *Cod.* XCIII. *n.* 15. relatus.

Fol. 152. *Simonis de Tissnow* Theologiae Baccalaurei Epistola boh. scripta, qua docere conatur, varias in Ecclesia Christi mutationes ejusdem Ecclesiae autoritate inductas veritati Fidei non obesse &c. Initium: *Milost apokoy pana boha a sgednanye* &c. Ad calcem: *Scriptum Anno domini 1457.* Et: *Istam Copiam prage ad sanctum Spiritum in antiqua Ciuitate Anno domini 1459. feria 3. ante festum Sancti Thome de Aquino et illo die eciam est festum felicitatis* (et) *perpetue prope meridiem finiui.* Neque prior Annus compositae, sed descriptae Epistolae esse videtur; nisi dicas *Simonem* ad extremam senectutem pervenisse, qui jam a. 1409. Academiae *Prag.* Rector datus fuit. Adtigi eum alias, ut *Index* testatur.

Fol. 154. p. 2. Aliud Scriptum bohemicum tacito Autore, quo ostenditur, Sacrae Coenae sub una specie sumtionem ad salutem sufficere. Incipit: *Wywoleny Zproknow S. Dauid* &c. Ad calcem: *Copiatum in Milewso feria 6 in die viti Anno domini 1459 exeunte Anno Embolismali Quamquam pro intervallo currente litera dominicali g et fuit Annus mirabilis quia usque festum S. viti semper fuit frigus.* Additur bohemice et hoc primum tempore Frumentum flores egisse.

Fol. 170. Expositio Missae pariter sine Autoris nomine, cujus initium: *Dicit apostolus ad ephesios VI°. Induite vos armaturam dei* &c. Inde transitur ad significata Vestimentorum sacerdotalium et demum Actiones Sacrificii singillatim explanantur adjecta sub finem succincta Horarum Canonicarum notitia, quae terminatur:

Finito libro sit laus et gloria christo.

DCCXXXIV.

818 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 286. 8. currente calamo, non tamen ab uno conscriptus exhibet: I. *Sermones* sacros in illud *Luc.* 16. *Factum est autem ut moreretur Mendicus* &c. seu de poenis Inferni, in Nativitatem Christi, in Epiphaniam, Purificationem B. V. Assumtionem, Nativitatem.

II. *fol.* 50. p. 2. *Incipit tractatus Magistri Johannis abbatis in Hei-*